

borez ! ô spes fallaces ! ô cogitationes meæ inanes ! *Cic. pro Milon.*

3. Exclamationi subjicitur Epiphonema & Licentia sive παρρησία.

4. EPIPHONEMA est exclamatio ad rei narratæ & explicatæ finem adhibita: ut, *Tantæ molis erat Romanam condere gentem, Æneid. i.*

(Vbi enim Virgilius per multas causas memorâisset, quibus Romanos, per varios casus, per multa pericula rerum jactatos, persequeretur, tandem exclamat, *Tantæ molis erat, &c.* Sic de captivis Atheniensibus Philip. in Chronicis hoc modo subjecto Epiphonemate refert: *Captivi Athenienses in Sicilia multi dimissi sunt propter hoc solum officium, quod Siculis communicârunt Tragoedias Sophoclis & Euripedis. Tantus honos ab ingeniosis hominibus habitus est bonis scriptis!*)

1. Differt Epiphonema ab Exclamatione: hæc enim tam in principio quàm in medio & fine rei narratæ adhiberi potest: Epiphonema autem non nisi sub finem.

2. In Epiphonemate plerunque utimur particulis comparativis & demonstrativis: usq; adeò, tantus, sic, ita, hic, hoc & similibus: ut, *Sic multi sunt vocati, pauci electi. Usque adeò à teneris aussuescere multum.*

5. Παρρησία est exclamatio quæpiam liberior, audacior & licentiosior: ut: *Dicam iam confidentius, quoniam audeo quædam fretus vestra sapientia liberè confiteri. Cic. pro Cœl.* Sic Baptista dicebat ad

G 3 He.